

240
AK 239

X 2046907

Za
6229

ANATHMA

DIS MANIBUS
VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQUE
DN.

CHRISTIANI DAUMII,

POLYHISTORIS, PHILOLOGI, CRITICI
ET POETÆ INCOMPARABILIS, CYGNENSIS
SCHOLÆ RECTORIS FAMIGERATISSIMI,
DE HUMANIORIBUS MUSIS IMMORTA-
LITER MERITI,

DOCTORIS SUI HEU! DESIDERATISSIMI,
SUSPENSUM

A

M. CHRISTIANO FEUSTELIO, CYGN.
MISN. P.L.C.

19.

LIPSIÆ,

Apud Joh. Christian. Wohlfart / Bibliop. in Paulino,
M DC LXXXIIX.



ANNA GEMMA

DIS MATHESIS

VIRI

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO

DR.

CHRISTIANI

DAMI

PHYSICORUM, ANATOMIARUM, OPTICARUM,
ET PNEUMATICARUM, COMPARABILIS, GYMNASII
SCHOLAE, RECTORIS, FAMULI, ERATISSIMI,
DEI, ET MANU, OPERIS, VESTRI, IMMORTA-

LI, PER, BENE, MERITO,

DOCTORIS, TITULI, DESIDERATISSIMO,

THURINGIAE,

M. CHRISTIANI, GEMMAM, OPTICARUM, CYCLO-

GRAPHICAE,

ALBERTI,

Apud Joh. Christian. G. Schmitt, Bibliop. in F. Wittenb.

M. DC. LXXIX.

12.





Et sic etiam
ex nostri temporis Triumviratu ultimus
vivere defuit.

Non enim minus nostra, quam superiora tempora
suos habuere Triumviros,
anni superiores Scaligerum, Casaubonum, Lipsium,
proximi Salmasium, Gaulmynum, Mauffacum, (a)
nostri Barthium, Reinesium, Daumium. (β)
Barthio ergo & Reinesio mortuis,
Triumviratus ad unum delatus est Daumium.

A 2

Qua-

(a) V. quæ ex P. Colomesii Cimeliorum literar. p. 99. refert Spizel, Felic. Literat. p. 228.

(β) Respicitur ad Joh. Cinelli Biblioth. Volantem Florentiæ 1677. in 8. editam, ubi *S. anzia Seconda della Bibliotheca volante* p. 24. elegantissima de his viris habet, quæ ex libro rarissimo nec cujusvis usui obvium huc apponere lubet. Sic autem ille l. c. *Palponista Bernardi &c.* In una lettera de' 31. Genn. de questo anno 1677. ho veduto, che l' eruditissimo Sig. Cristiano (Cristoforo) Arnoldo scrive al Sig. Magliabechi gloria della Toscana: Cl. Christ. Daumius, qui Bernhardum Geyst. primus edidisse cum notis sibi videbatur, recipit jam à Cl. Becmanno Fr. ad Od. Bibliothecario Editionem Colon. anni 1501. ex qua errores suos corrigit & lacunas denuo supplebit, & de vita Auctoris multa adjiciet: Onde chiaramente si vede, che chi che sia è abile ad errare, poiche il nostro secolo non hà avuto aleuno più informato dell' erudizione, e de gli Scrittori de' tempi Barbari (eccetuatone, il che anche non sò, il dottissimo Bartio) del Reinesio, e del Daumio, e pure essi diedero fuora il detto opuscolo, per non mai stampato, che era stato impresso poco meno di due secoli avanti: Perche il detto opuscolo in versi leonini è assai raro, e molti avranno curiosità di sapere perche l' intitoli Palponista, trascriverò què le parolo dell' eruditissimo Daumio a 44. delle sue Note &c.

Qualem habituri essemus, docuit dies natalis, (γ)
qui paucis magna minitantibus vitā dedit; (δ)
ut recens nati prædiceretur excellentia futura singularis,
singularis ipsum in auras protulit dies.

Patrem in suo ordine habebat primum, (ε)
ut filius in suo ordine non ultimus videretur futurus.

Matrem habebat elegantissimis moribus, (ζ)
ut filii morum elegantia ex illis colligeretur.

Quæ omnia in eo prima probarunt incunabula.

Surculus enim quinquennis ostendebat,
quid ab arbore sperandum annosa.

Juventus docebat, qualem virilis ætas sit datura,
virilis ætas, qualem senectus.

Infantia juvenilem spirabat notitiam,

juventus virilem eruditionem,

virilis ætas senilem prudentiam,

ut sic ubique

non tam alios, quam se ipsum vicisse videretur,
annos præcurrendo suos.

Parentum præceptorumq; superabat vota,
dum sine Grammatica ad Grammaticæ regulas scribere,
imo citius loqui, quam scribere noverat,

Nullas regulas doctus, regulas observabat,

nullius audiens doctoris formationem,

omnium reportabat approbationem.

Ætas

(γ) qui erat 29. Martii, Domin. Judica 1612.

(δ) eodem die natus Anno 1534. Sigism. Wernerus, Scholæ Culmbac. Re-
ctor. Cui annumerare liceat Job. Huniadem Voivodam Transyl-
vaniæ, anno 1390. natum.

(ε) Pater ipsi fuit David, avus Martinus Cygn. 1527. 7. Nov. natus, unde-
cim, quibus interfuit, bellicis expeditionibus, clarus, denatus 1596.
27. Febr. proavus, abavus, tritavus 1508 Cygn. denatus, Cognomi-
nes Johannes, omnes chirurgicæ artis exercitio clari.

(ζ) mater fuit Catharina, nata Skreitza, Norimbergensis.

Ætas non nisi Germanicis discendis apta literis
ex se discebat Græcas, Hebraicas,
(*) discebat & tenebat,
tenebat & reddebat.

Festinæ festivæque erat indolis.
Magnam noverat deberi laudem diligentiaë,
majorem diligentiaë spontaneæ,
maximam diligentiaë spontaneæ continuationi;
hinc erat diligens sponte & indefinenter.

Cereo erat ad bona, ad mala ferro ingenio,
difficili ad vitia, ad virtutes facili,
ut sponte currenti
non tam calcar, quam frenum addendum esset.

Et si unquam
in Nostro proverbium non fuit veriverbium:
præcocia ingenia non esse duratura.

Nec enim ad eam potuisset pertingere perfectionem,
nisi ante tempus maturuisset,
vix maturuisset,
nisi spem omnium prævertisset.

Hinc etiam eos in schola experiebatur Patronos, (n)
quos aliis vix Academia potest spondere,
Academia eos ipsi conciliabat, (θ)

A 3

quos

(n) ex multis nominasse sufficiat *D. Th. Steinmezium*, Poetam non infelicem, qui cum Nostro non veritus est sæpissime carmine decertare, cujus etiam nomini propterea *Wunstii* preces inscripsit. Nec tacendus *D. Joh. Richter*, Consil. Schönburg. qui tempestatibus bellicis Academia exclusum liberali hospitio sustinebat. Cum quo paria faciebat *M. Christoph. Richter*, Superint. Geranus, qui ann. 33. Mense Octobri Lipsia reducem factum mensa & domo sua excipiebat.

(θ) *Bartius* unicus sit instar omnium, in cujus intimiorem penetravit admissionem, cum 1634. festo Ascensionis meliora & pacatiora sperans tempora Philuram nostram iterato accederet.

quos aliis vix summi honores & officia.
Dolendum tamen,
Marte, morte & peste studia Academica interrupta, (i)
dolendum,
naturæ obstetricanti obfuisse fortunam novercantem.

Sed quid?
Vita, non studia Academica impedita,
Academice enim etiam extra Academiam vivebat,
legendo, meditando, scribendo,
& quod sumtibus non poterat, labore impetrabat,
quo fortuna impeditus non poterat,
duce ingenio, comite industria, penetrabat.
Patriæ ab Academia & Marte redditus,
eosdem inveniebat Patronos, quos reliquerat,
imò novum surgere videbat, Götzius, (κ)
cujus filios iisdem præparabat honoribus,
quos hodiernum tenent,
iisdem characteribus aptos reddebat,
quos hodie non sine laude sustinent.
Privatus publica collustrabat, in publicum emittens radios, (λ)
ut publica sibi quærerent,
quem privata sibi acquisierant.
Patriam enim,
quam olim Φιλομαθῆς discendo ornaverat,
πολυμαθῆς docendo debebat illustrare.
Patriæ jam ipse gloriam,
patria ipsi honores debebat.
Natum ergo omnibus patria sibi vindicare,
toti mundo editum Cygnea retinere volebat; sic

(i) anno 1635. Barthium negotiis ad alia loca avocantibus, & Marte & peste omnia vastantibus.

(κ) Nicolaus Götzius, Jctus famigerabilis, hospes ejus factus ann eod.

(λ) Edidit enim in Götzianis ædibus 1642. librum suum de Rad. amissis.

Sic tamen, ubi
 ut ipsum toti mundo natum constaret.
 Proinde Tritodidascalum (μ) vocabat,
 & demum Rectorem, (ν)
 ubi parelium ex perigæo ascendentem videbat,
 Sole adhuc in apogæo lucente.
 Doctore scilicet eruditissimo adhuc docente,
 eruditissimus docebat discipulus.
 Lucebat parelius, Sole lucente,
 sed non aliena, sed propria luce,
 quæ Sole majores emittebat radios.
 Æqualis enim erat doctori linguarum orientalium notitia,
 superior videbatur Latinæ, Græcæ, Arabicæ,
 major erat Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ, Bohemicæ.
 Candelam ipsi præceptor prætulerat,
 ipse discipulis facem præferebat.
 Extra scholam vivens
 se dignissimum ostendebat scholica functione,
 Tertius vocatus, cui scholæ regimen traderetur.
 Scholæ præfectus, cui academica cathedra. (ξ)
 Ad utrumque vocatus,
 illud suscipiebat, hoc repudiabat,
 annis Academiæ destinandis jam à schola ereptis.
 Per gradus ergo ascendebat,
 ut subinde se dignum probaret, qui altius ascenderet. (θ)
 Magnus (π) se majores sibi que non degeneres
 educa-

(μ) Tertius in scholam vocatus 1642. 12. Mart.

(ν) Præfecturam Scholæ, quam Rectoratum vocant, humeris ejus imposuere Patroni 1662. 21. Julii. (ξ) factum illud anno 1675.

(θ) Sic enim *Bosius præf. ad Lect. ad Corn. Nep. C. D. vir meliore fortuna dignissimus.* Et *Francus de Papp. Indic. Expurg. libb. proh. & expurg. c. VII. §. 93. p. 106. Cl. Daumius, Vir, si quisquam alius, altioris honoris fastigio dignissimus.*

(π) Sic jam olim Tertius magno *Scherzera* vocabatur in suis ad Zechend. 16. Febr. 1656.

educavit discipulos,
 Polyhistor Theologos,
 Felleros, Schmidios, Sebischios, Pezoldos, Heidleros,
 Thymos, Fritzschios,
 Philologus JureConsultos,
 Ferberos, Reiheros, Blumbergios, Götziös, Martinios,
 Weisenbornios, Peiskeros,
 Criticus Medicos,
 Götziös, Dittmannos,
 Poëta Philologos,
 Stepneros, Grafios, Winteros,
 Daumius Theologos, Jctros, Medicos, Philologos,
 Oratores, Poëtas.

Sicuti olim discipulus discendo docuerat,
 dum bene discendo aliis diligentiae exemplum præbuerat,
 ita præceptor docendo discebat,
 dum non male docendo aliis doctrinam eruditione præibat,
 & viarum anfractus discebat,
 non ut tereret, sed ut evitaret aliosque reduceret.
 Per multas enim ambages olim deductos
 per viarum compendia incedere docebat,
 prolixiores Syntaxeos regulas septenario includens numero,
 Fidem omnem superantia peragebat,
 dum pueri memoriam
 unico momento vocabulorum myriadibus imbuebat,
 ut nunquam audita sciret,
 nunquam nota exprimere posset.

πολυδιδάσκαλος erat, ubi erat φιλοδιδάσκαλος.
 Proderat discipulorum scientiæ,
 sed ut noceret inscitiae,
 ignorantiam extirpabat, ignorantes reducebat,
 errores eradicabat, errantes corrigebat,
 Gaudium capiebat

non

non ex discipulorum inscitia & negligentia,
ut tempore rem suam faceret,

unde ejus apparet *ἀνὰ δεξιά,*

sed ex eorum diligentia & studio,

quando sua vestigia legentes videbat,

unde animus omni vacuum invidia.

Sicque

Scholæ præerat & proderat, nunquam deerat.

Præerat vero scholæ,

nec tamen operam suam denegabat amicis.

In schola enim vivens Academicos docebat, (e)

quos non poterat lingua, calamo,

quos non calamo, typis.

Hinc tot epistolæ, tot ingenii monumenta.

Amicorum surgebat precibus privatim,

nec publice scholam in se quid desiderare patiebatur.

Ita tractabat publica, ut nunquam seponeret privata.

B

Publi-

(e) Ex innumeris testibus adduxisse sufficiat C. L. ad Beatum 4. Oct. 64. scribentem: *Nec est, cur Tua merita in publicum & meum quoque bonum adeo extenues. Satis dixero (plura enim Tibi dicere, qui à propria Tua laude alienissimus es, mihi non erit integrum) si fuero confessus, me ex Tuis scriptis plus hæcenus hausisse eruditionis, quam. Et I. T. II. Jun. 52. Tibi vero, Vir Clarissime, gratias habeo ingentes, quod subinde me multa doceas in libris Tuis, non ignorata mihi tantum hæcenus, sed & fortasse, absque iis foret, ignoranda in perpetuum. R. M. G. 28. Aug. 70. Ignosce, si tibi negotium facefso. Credo tamen te ejusmodi quæsitæ non despuere. Satisfecisti hæcenus, quoties aliquid rogavi, nec id Tibi difficile, quippe qui in omni genere autorum longe es versatissimus. Id. 26. Dec. 70. Observationes Tuas in S. d. V. C. accepi, & gratissimas habui; multa me monuisti, de quibus antea mihi non constabat aut parum. Id. 30. Mart. 74. Superest, ut meo more agam, & à Te scire cupiam, quid sibi velint &c. Id. 1. Jul. 76. nunc pro more meo ad quæsitæ me confero. I. G. O. 22. Mart. 76. Unum tamen aut alterum addam festinans licet, ne informatione tua circa hæc ulterius carens, ambiguus hæream.*

Publicis ita præerat, ut nunquam deesset privatis.

Unde tantus amicorum exercitus (σ) ad

(σ) Ex innumeris, qui jam succurrunt, sunt sequentes: Val. *Alberti*, Casp. *Alexandri*, Christoph. *Arnoldus*, Petr. *Axenius*, Balth. & Gottl. *Balduini*, Steph. *Baluzius*, Th. & Casp. *Bartholini*, Casp. *Barthius*, Chr. *Becmannus*, Henric. *Besselius*, Emer. *Bigotius*, Sigism. *Betulus*, Joh. *Bohemus*, *Bornmeister* / Joh. Andr. & Paulus *Bosii*, Jodoc. Laur. *Boy*, Aug. *Buchnerus*, Christoph. *Buleus*, G. *Arnold*, *Burgerus*, Fr. *Calenus*, Sam. *Bened.* & Frid. *Bened. Carpxovii*, Guil. *Capoferreus*, al. *Jfern* *Popff* / Christoph. *Cellarius*, Jos. & Isr. *Claudevi*, Petr. *Colbovius*, Theophil. *Cölerus*, G. *Crauserus*, Caspar. *Cunradus*, Sim. *Dach* / Joh. Mich. *Dilherrus*, Esdr. *Etzardi*, Jo. Aug. *Egenolphus*, Joach. *Fellerus*, Jo. *Fidlerus*, Mart. *Fogelius*, Chr. *Frider. Franckensteinus*, Dan. *Francus*, Jo. *Frischmuthius*, Christian. *Funccius*, Jo. *Gebhardus*, Methodius *Georgenfelder* / Jo. Ern. *Gerhardus*, Jo. Ge. *Gravius*, Jo. Frid. *Gronovius*, Marqu. *Gudius*, Christian. *Gveinzus*, Jo. Henr. *Hænerus*, Ge. *Reichard. Hammerus*, Dan. *Hanifius*, Mart. *Hanckius*, Jo. Lud. *Hartmannus*, Tob. *Hauschkonius*, Nic. *Heinsius*, Joh. Fr. *Hekelius*, Fr. *Helmius*, Christoph. *Hendreich* / Chr. *Hilarius*, Fr. *Hildebrandus*, Bened. *Hopfferus*, Chr. *Jacobius*, Frid. *Kettnerus*, Ge. Caspar. *Kirchmajerus*, Jo. *Frider. Körberus*, Ge. Matth. *Königius*, Matth. *von der Lage* / Luc. *Langermannus*, Christ. & Sam. *Langii*, Casp. *Læscherus*, Jo. Petr. *Lotichius*, Jobus *Ludolfus*, Ludolf. Ge. *Lundenius*, Anton. *Magliabechius*, Heinr. *Meibomius*, Ægid. *Menagius*, Jo. Seb. *Mitternacht* / Dan. Guil. *Mollerus*, Sam. *Monachus*, Dan. Ge. *Morhofius*, Heinr. *Mühlpsfort* / Thom. *Munckerus*, Gothofr. & Joh. & Joh. *Gothofr. Olearii*, Mar. *Opitius*, Jo. Eric. *Ostermannus*, Jo. & Hier. *Gothofr. Peiskeri*, Tob. *Petermannus*, Theod. *Petræus*, Vinc. *Placcius*, Joh. & Otto *Prætorii*, Esa. *Pufendorffius*, *Frider. Rappoltus*, Jo. *Ravius*, Ad. *Rechenbergius*, *Reichenbach* / Andr. *Reichmannus*, Thom. *Reinesius*, Jo. *Reiskius*, Andr. *Rivinus*, Guern. *Rolfinc* / Joh. *Rosenberg* / Th. *Ryckius*, Casp. *Sagittarius*, Balth. Frid. *Salzmannus*, Jo. *Schefferus*, Jo. *Schellerus*, uterque, Joh. Ad. *Scherzerus*, Bernh. *Schmidius*, Ge. *Schubartus*, Conr. Sam. *Schurzleischius*, Jo. *Sebischius*, Jo. *Sextus*, Joh. Phil. *Slevogtus*, Sev. Walt. *Sluterus*, Theoph. *Spizelius*, Adr. *Stegerus*, Jo. Ge. *Styrzelius*, Jo. *Theilius*, Jac. *Thomasius*, Jo. *Töpferus*, Ad. *Tülsnerus*, Chr. & Ge. *Vechneri*, Elias *Veielius*, Jo. Christ. *Wagenseilius*, Chr. *Weisius*, Æg. *Wildius*, Dav. *Winterus*, Henn. *Witte* / Jo. *Zechendorffius*, Fr. *Ziegnerus* uterque, Matth. *Zimmermannus*.

ad hoc oraculum concurrebat,
qui amicitiam ejus ambiebant, (r) obtentam æstimabant. (v)

Omnium sentiebat amicitiam, nullis inimicitiam,
quia se omnibus amicum, nulli inimicum exhibebat.

Quia nulli odium, omnibus amorem probabat,
omnium amorē, nullius experiebatur odium,
nisi homunciones quosdam aut umbellas excipias,
qui contra ipsum insurgendo aliquid voluere esse,
non scribendo, sed rixando,
non calamo, sed superbia.

Semper vero lætus, etiam læsus,
laudabilior certe,

quod ferret inimicitias non meritis,
quam inimici, quod non ferrent vindictas, meriti.

Humilitate enim sua ferebat,
quod aliorum superbia inferebat,
ut doceret, interdum de suo jure cedendum,
& cedendo posse vincere.

Aut si cum istis exercebat similtates,
factum ipsius ingratis, sine odio.

Si odio quosdam habebat, factum sine contemptu.

Æque erat facilis & amicis & inimicis,
illis sine blanditie, his sine morositate,
illis juvando, his condonando.

Æque durus omnibus, & amantibus se, & odio habentibus,
illis sine felle, his sine aculeo,
illis dissuadendo, his monendo.

B 2

Mul-

(r) Magni Ludolfi exemplum hic adducere liceat 18. Oct. 75. his Daum.
alloquentem: Cum eruditionis tuae ea fama sit, ut apud cives & externos
jam percubuerit, utique & ego ea frui desideravi &c.

(v) De ea sic B. Scherzerus ad Zechend. 16. Febr. 56. Excellentiss. Dn. Dau-
mium honorificentissime saluto, cujus amicitia auro mihi est contra, ex eo,
quo ab E. V. percepi tempore, meam qualem qualem animi promptitudinem &
affectum VIRO senio non fuisse. Valet nobile Literarum Restauratorum par.

Multum debebat ipse literis, ipsi multum literæ,
ipsi enim hæ conciliarant eruditionem,
his ipse incrementum.

Utrumque probant scriptorum monumenta.

Plura tamen fuisset scripturus,
si famam captasset,
plura eruditis dedisset, si minus fuisset humilis.

Quanquam nec laus nec gloria editis desit.
Sed tamen adhuc amplius sibi suæque famæ profuisset,
si scribendo eruditis plus adfuisset,
adhuc plus sumfisset laudis,
si plus dedisset scriptorum.

Ambitio ergo, in aliis detestanda, ipsi apprecanda fuisset,
ut hujus cæstro percitus
plura erudito orbi indulfisset scripta.

Multa quidem scripsit & edidit, (Φ)

plura scripsit & non edidit, (χ) pluri-

(Φ) Operibus ejus à Cl. Wittio in *Diario suo Biographico* magno studio, nec infelici successu collecto, annotatis ad Daumium nostrum, annumeranda: *Cato & Columbanus* tertia vice editi, *Walonis Britanni Satyra cum notis*, Bernhard. Geystensi addita, *Strenæf, vota metrica palindroma*, *Psalm. CIII. hyporchemate*. *Onomasteria D. Balduini, D. Bar. Stepneri, L. Go. Si. Peiskeri, D. Cas. Löscheri Ephororum Cygnensium, Xeniorum schedia Zechendorffio oblata, Ver-tumni pœtici tres millenarii, Thyrsigeri 300. hexametris variati*. Hieronymus *Græcus de Trinitate & Gennadii opuscula*. Ej. *Disputatio ad Institutionem Christianorum utilissima*, ex cujus præfatione, tanquam ex ungue leo, Daumii notitia in historia erudita colligi potest, quam etiam propterea D. Zimmermannus in sua de Styli elegantia diatribe, Florilegio suo præfixa, maximam partem repeti jussit. *Notæ ad Porphyrium Optatianum*, in fol. inter opera Velferi. *Notæ ad Paulinum Petrocorium. Fabula Camerarii, cum Indice ab aliis carmine redditarum & alibi reperiendarum & notis*. Cura ipsius etiam edita: *Wunstii preces Avenarii, cum dedic. ad Th. Steinmezium*, quæ tamen à pluribus abest exemplaribus. *Barthii Soliloquia, Claud. Mamertus, Guil. Brito, Statius*, in quem ipse confecit indices, *Pornodidascalus, Gerontica*.

(χ) Typis parata & fere absoluta sunt: *Gymnasium L. L. Indices L. L. analogici*, quibus

quibus omnis omnium seculorum & ætatum inest Latinitas, quorum spes jam olim Vossii Etymologici editionem ad decimum retinuit annum, *Stichographia*, de qua Ep. 4. ad Reines. p. 12. cujus Sciagraphiam inter mea habeo, *Diatribæ de nullitate Aoristi 2. & Futuri 2.* omnium eruditorum calculo approbata, quorum in os præsentiarum sit Roscius in Gr. L. Magnif. Dn. D. Olcarius, qui ad Daumium 24. Apr. 73. *Diatriben*, inquit, *Tuam de futuri Graculorum aoristi & futuri secundi figmento cum cura perlegi integram. Dicitur non potest, quantum me hic delectarint & dicitur tam accurata, inq. pondere non magno satis ponderosa Viri ad repurgandas ejusmodi mendas, queis infinite scatet Grammaticalis ille caudex, peculiari quopiam Genio nati Charitibusq. educati. Eam ut ipse manu mihi mea describerem, operam dedi, cum nescirem, an brevis, Deo Volente, excusam habituri simus. Quamvis libentius excusam eam legerem, quam in membranis. Neq. dubito, quin Lectores natura sit doctos, & æstimum his talibus suum ponentes. Bonum præterea factum, & perquam utile, quod ad magis consciscendum contumaces, Indagatorem Græca Lingua. b. e. Verorum Thematum apud Græcos, restitutionem, pares. Tecum enim, quisquis naris haut obesa est, fateretur, quam ignorantia cascarum & abolarum radicum, tam in Gr. quam L. L. rem omnem confundat Grammaticam, tricus implicet, imo magnam felicitatis partem Criticæ ademptum eat. Utinam vero mox integro ipso potiamur. De commo- do inde orituro non tacebit egregium publicum. Indagator & Restitutor Gr. & L. L. Radicum. Variæ Lectiones, in quibus Manilius, Claudianus Mamertus, Celsus Aurelianus & alii ad membranas collati, non nulli ex ingenio emendati, quarum mentio sæpissime fit in epistolis Heinsii, Thomasi, Königii, Axenii, aliorum. Observa- tiones. Vitæ Poetarum, quæ multis post se relinquunt parasangis Vossium de P. L. non tantum ob Poëtarum majorem numerum, sed ob curatius elaboratas eorum ætates, de quibus Königius Daumio aurem vellit, 12. Aug. 71. O si, inquiens, tu poetarum vitas, quas conscripsisti, aliquando emitteres. Multa inde disci possent. *Jamborum purorum & Anacreonticorum liber. Palindroma. Epistolæ Clarorum Virorum. Notiones Generales. Bernh. Palponista duplo auctior. De Radicibus amissis quadruplo auctior, Millenarius quartus Vertumni & quintus, nondum expletus. Thyrsigerorum 2000. hexametri & 250. Phalacii. Weizii nota in Sodomam Cypriani. Melisi Carmina, multo labore & studio collecta.* Inter quæ fortasse non ultimum occupabunt locum *Epistolæ ejus ad Viros CLL.* quibus multa erudita nec ubivis obvia insunt, ut *Amalthees cornu* aut *νεμνηλιαρχείον* non immerito dici possint, quarum successiva editione hæredes non parum gratiæ ab erudito orbe inituri, Virique beatissimi faræ maximo consulturi essent opere. Non vero nisi quæ aut memoriæ sponte succurrerunt, aut ex relectis ad Beatum Virorum doctorum Epistolis, colligi potuerunt, L. B. hic expressa vides, tantum abest, ut annotata omnia Daumiani supellectilis editioni parata absolvant.*

plurima tamen nec scripsit, nec edidit,
sed secum abstulit. (ψ)

Nihil unquam scribebat, quod non cogitaret prius,
nihil dicebat, quod non perpenderet.

Hinc in omnibus fere recte sentiebat,
& si fortasse in quibusdam minus,
in paucissimis factum, (ω)

Ut

(ψ) Nominasse sufficiat *Syntaxin*, cujus supra mentio injecta, quam ab eruditis plus unis ardentissimis votis & obsecrationibus efflagitatum, nunquam integram chartæ inscripsit, sed viva voce traditam, secum abstulit.

(ω) Quibus vix annumerandum puto illud Reinesii: *bene quod mutasti*. Ep. xv. p. 50. Si enim quid conjicio & ex collatione Ep. xii. p. 33. ex qua Reinesio hæc verba nata, divino, Daumio nostro eo tempore cum illis tantum in MEN & MENTUM derivatis erat res, quæ à Supino descendunt, non cum omnibus, quæ vel ab Infia. vel Supino derivantur, quod exempla l. c. à Daumio adducta, probare videntur, quæ omnia Supinis originem suam debent. Quod vero Daumius nunquam docuerit, tantum à Supinis jam dicta descendere derivata, ex Ep. xiv. p. 39. seqq. facile videre est, ubi ex utroque descendencia distinctim affert, nec tamen mutatae sententiæ mentionem injicit. Nec huc trahenda controversia de Mantuani natali & emortuali, in qua Daumio Reinesius cum maxima contentione contradicit, in primis quoad illud chronodistichon, quod, à Reinesio Ep. xv. p. 51. & quidem, ut ipse Ep. xxv. p. 83. fatetur, ex Schradero, cui plus fidei habebat, quam Daumio sua ex ipso Mantuano probante, desumptum, ejus sepulchrali lapidi incisum dicitur. Daumium enim Ep. xx. p. 8. non tantum recte in dubium vocasse chronodistichi fidem, curis fecundis ex Itinerario Italiæ Schottorum Reinesio Ep. llix. p. 153. probavit, sed ejus genuinum patrem, quem l. c. ex πρός Lutheranum aliquem conjiciebat, video esse *Bernardum Sturmium* alias *Valterum* dictum, cujus Eteosticha Görlicii 1, 80. edita Cent. V. num. 73. jam adductum, ostendunt.

Ut ipsum hominem esse probaretur;
in nullo enim errare, non hominis, sed Dei est.
Quanquam peccata ejus fuerint sine vitio,
errores sine errore, quia docti. (A)

Et quia errores sine pertinacia,
παρρησια sine seductione,
vix pro erroribus habendi.

Meliora enim docenti paratus erat cedere,
quia in errore perseverare diabolicum.

Quanquam paucis cedebat, quia optima docebat.

Meliora discenti sua concedebat,
quia à se noviter inventa,

& quia amicorum omnia communia sciebat.

Unde non minus facilitatem suam probabat,
meliora docenti cedendo,

quam constantiam,

suae sententiae firmissimo fundamento innixae innitendo.

Hinc etiam

stylum acutum aut limam aliorum,

quam eruditorum tantum non omnes experti sunt,

Lipsius, Kornherdi, Thomsoni, (B)

Sciop-

(A) *Reines. Var. Lect. l. i. c. 15. p. 52. Eruditi cum errant, errant errores eruditos.*

(B) Uterque integrum librum c. Lipsium scripsit. Ne quid de *Scaligero* dicam, qui sub voce *Lipsius* in *Electis Scaligerianis* scientiam ejus Politicam non tantum in dubium vocat, sed plane negat, qui tamen tantum non in omnibus limites censoris transgressus videtur, in primis, quod hac occasione monere liceat, quando de scriptoribus *Γεω-πνευστοις* ipsi sermo. Quibus annumerandus *Berneggerus* in *Dissertat. de Idolo Hallensi*, & qui unus est instar omnium *Th. Sagittarius* in *Lipso Proteo*.

Scioppius, (F) Barthii, (Δ) Berneggeri, (E)
Taubmannus, Putschii, (Z) Fabricii, (H)
Barthius, Reinesii, (⊙) Ulitii, (I)
alii, aliorum,

ipse haud ultima eorum portio, nunquam sensit. (K)

Ignota

-
- (F) Qui suo tempore solus Latina scire dicebatur, quique nullius, præter unius Barthii, licet ab ipso Satyrico provocatus, pepercit famæ & eruditioni.
- (Δ) In Satyrico: *Cave Canem*, De Vita, Moribus, rebus gestis, divinitate Gasparis Scioppii Apostatæ, sub nomine Tarræi Hebii, Nobilis à Sperga, Germani, edito.
- (E) In *Observat. Miscell.*, c. 13. Ne jam referam *Confutationem Tabula Burdonum*, cujus autorem nonnulli ipsum *Jos. Jus. Scaligerum* faciunt, sed *Janum Rutgersium* esse ex Geislero cum aliis *Vinc. Placcius de Script. Anon. n. 239. p. 65.* nobis detegit; nec de Jesuitarum scriptis, quæ *Alegambe* peculiari Catalogo inclusa, Bibliothecæ suæ Jesuiticæ subjecit, quæque jam laudatus Scioppius *Anti-Jesuiticis* suis, sub nomine *Alphonsi de Vargas* editis, & à *Placcio* l. c. n. 248. p. 67. recensitis, in se concitavit.
- (Z) De quo ipse Taubmannus in suis ad Jungermannum, quas à Daumio collectæ & typis jam præparatæ *Epistolæ CLL. Virorum* nobis exhibebunt, conqueritur.
- (H) In *Pranso* suo *Parato*, ubi sub *Polyphili* nomine, p. m. 139. & 151. intemperanter Taubm. lacerat.
- (⊙) In V. L. passim. (I) in *Notis ad Gratium, Nemesianum & Calpurnium*, ubi durissimis in Barthium invehitur verbis, cui *Matth. von der Lage* nonnulla opposuit. Ne de *Heinsis, Scriveriis, Vossis, Gronovii, Gebhardis*, quid dicam, quorum calamus haud vulgari modo contra B. insurrexit.
- (K) Huic nostro effato obstare videtur *CL. Ursinus*, qui in *Observ. suis Philolog.* c. VI. p. 77. Daumium accusat, quasi nimium hac in parte sibi permisisset, quod pro lubitu non raro verborum themata omni ævo veteri ignorata, auctoritate certe omni plane destituta, comminiscatur; sed sine pondere. Multa enim à Daumio ficta videntur, quæ jamdudum ab aliis usurpata. Quod vel ex verbo *dapere* patet, cujus patrem *CL. Ursinus* l. c. Dau-

Daumium putat, quod tamen multò antiquiore gaudet autoritate. Occurrit enim in *Glossario Lat. Gr.* ab Henr. Stephano jam superiori seculo anno 73. ex MS. edito, ubi *dapet* per *Δαχέραι* redditur. Quod propterea Ursinum non poterat latere. Ubi Stephanus quasi Daumio nostro Apologiam scripturus in præf. sua ad Gloss. * III. b. *insignes*, ait, *antiquitatis reliquæ hic promuntur in vocibus partim simplicibus, partim compositis. Atque hæc quo antiquiores sunt, eo magis novæ (& sine hoc libro esset, plane fictæ & excogitatæ) futuræ sunt: utpote quæ per tot annos tenebrismersæ, nunc primum emergunt.* Ut propterea nequaquam Daumius carpendus, etiamsi quædam sine autoritate nobis hodie non obvia finxisse videretur. Sicuti enim multa ante nos quæsitæ, quæ à nobis non amplius desiderantur; ita aliis haud exigua relinquetur messis eorum, quæ à nobis frustra expectantur. Nec enim L. L. divitiæ juxta editorum librorum modulos metiendæ. Quot sunt deperditi autores integri? quot adhuc latent, ex quibus noviter excogitorum antiquitas optime posset probari? Ut nec adeo simpliciter, dum autoribus destituimur, rejiciendi *Vocabulista, Vocabularii, Breviloqui, Catholici, Onomastica, Glossaria*, & alii hoc genus libri, qui sua ex autoribus suis temporibus ubivis obviis, nobis verò hodie vel denegatis vel plane deperditis desumfere, ad quos propterea ad sua defendenda non raro provocare videmus eruditos. Nec incongrue huc illud *Reinesii* trahi potest, quod Daumio nostro lectionem aliquam ob autoritatis defectum non statim recipienti Ep. xxxi. p. 105. reposuit: *non dixisse autores absurdum fuerit putare, etsi autor non succurrat.* NB. Nimis multa non erunt pro Latinis agnoscenda, si agnoscenda non sunt, nisi ea, quæ apud Latinos autores in Editionibus hodie reperiuntur. Et quod Ep. LV. p. 146. Eidem de *τὸ ὑβερταρε* autoritate sollicito reposuit: *nondum legisti? at leges aliquando.* Imo si per Glossarium liceret, demus CL Ursino, *dapere* à Daumio esse fictum, quid deinde? An ipsi prohibitum, quod Ursino, ad sua stabilienda, licitum, quod aliis eruditis integrum? Sic enim *ϰελευσῆσαι* Borrichius in Tr. suo de *Quantitate penultima Denominativorum in inus & verbalium in icis*, Analectis suis ad Cogg. de L. L. additis p. 36. in ipso Ursino carpit, quod in suis *Observ. Phil. c. xi. p. 199. mordo* fingat. Sic & alii Viri eruditi alias minus obvia posuere, quod à Daumio de R. A. p. 55. probatum. Quanquam vix hoc in subsidium nostrum vocandum, quia Daumius non nisi autoritatibus & analogiæ funda-

mento nixus sua protulit. Et quid multis? Etiam si autoritate hujus vocabuli destitueremur, annon dicere liceret, *dapere* omnino fuisse, etiam si non amplius extet, quia ejus paragogicum *dapinare*, habetur, quod apud *Plautum* legitur *Capt. Act. 4. Sc. 3.* ubi *dapinabo victum*, & apud *Petrum Gruterum* *Epist. xiii. l. i. p. 53.* *Tibi inquam dico: alius dapinato hoc modo, nam tuus victus scruposam commeat viam: sentes estandas locas: veniendum calceatis dentibus.* Sicuti enim *albicare* est ab *albere*, *flavicare* à *flavere*, *frondicare* à *frondere*, *sorbilare* à *sorbere*, *rubrare*, *rubricare* à *rubere*, & hoc genus alia, ita *dapinare* à *dapere* esse possemus dicere. Unde tantum abest, ut *Daenius* aliquid, præter rationem & Analogiæ fundamentum finxerit, ut potius omnia in libris inveniantur, etiam si non statim nostris occurrant oculis aut manibus. Nec incongrue *Daenii* nostri verba ex *Ep. xiv. ad Reines.* p. 43. huc trahere possumus: *Radices omnino restitui NB. ob fundamentum grammaticale (& sic tantum ad ῥῶσιν non ad ῥῆσιν) oportere, licet non in usum sermonis reproducendas: aliter vix opera pretium facturos nos esse in omni re Grammatica.* Et hanc utique unicam causam ignoracionem scilicet *verorum thematum hætenus omnia præcepta confudisse.* Unde etiam alterum, quod supra laudatus *Ursinus* l. c. in *Daenio* nostro carpit, non adeo firmo stare videtur talo, quasi nominum derivatio apud *Latinos* omnium non à verbis sit petenda, quod & *Reinesius* improbarit, siquidem ad reliquarum linguarum, inprimis *Hebraicæ* Analogiam illud à *Daenio* factum. In quam hypothesin vix adeo firmis insurrexit argumentis *Reinesius*, ut eorum fundamentum à *Daenio* non potuisset subruï, si controversiæ hujus ferram cum *Reinesio* reciprocare maluisset, quam opponendo amicitia nondum inveteratæ etiam suis ingratis vim inferre. Sicuti enim *Reinesius*, ut *Nestorius* in sua *Præfat. ad Reinesii ad se & patrem epp.* loquitur, *vir erat, qui oblocutionem nullo modo patiebatur;* ita contra *Daenii* mores erant sedati, animus facilis, qui citius de suo remittebat jure, quam aliorum irritando spiritus sua etiam firmissimo superstructa fundamento, defendebat. Quod non tantum *Reinesio-Daeniana* loquuntur *Epistolæ*, sed *Daenius* noster expressis ad *Rivinum* 6. Dec. 51. ipse profitetur, dum de *Reinesiano* agens negotio cessi, inquit, *ego volens, cum prius de vehementia stili conquestus essem, nec ad ultimas ejus mense Maio datas, ut ut optime potuerim, & etiamnum possem, responsum aliud tuli, quam malle me potius ea scribere, quæ ad mihi conciliandos quam ad irritandos*

tandos Magnorum Virorum animos facerent: aut tacere in posterum. Et quia
h. l. mentio facta Epistolarum Reinesio-Daumianarum, notan-
dum, quod & *Bosius* in sua ad Daumium dedicat. innuit, multa inibi
legi à Daumio nec visa, nec lecta, nec audita. Quod de illis fere
omnibus capiendum particulis, quæ sine responsione Daumii nostri
prætermittæ. Interea tamen ad hanc Daumii sententiam stabilien-
dam non parum faciet *Ej.* liber de R. A. integer, cujus iteratam edi-
tionem quadruplo auctiorem mecum omnes boni optant. Sed nec
Chr. Sandius celebre illud inter suos nomen, utq; *B. Scherzero* in præf.
ad nov. Edit. sui Anti-Socin. B. 2. b. audit, nec *gregarius nec indoctus ad-
versarius*, prætermittendus est, quia Daumio nostro, quamvis non
extra speciem, erroris notam inurere tentat, dum in suis *notis &
animadv.* in *Gerh. Jo. Vossii libb. de hist. Lat. p. 168.* ubi de *Gualtero Phi-
lippe Castellionio* agit, Daumium cum *Vossio* labi, & paucis interjectis,
Daumium gravius errare, scribit, qui autorem hunc seculo X. vixisse statuat
& falso *Vossio* adscribat gravissimum errorem, quasi ipse dixerit, *Gualterum vi-
xisse seculo IX. cum & hoc opere de hist. Lat. & illo altero de Poët. Lat. diserte
dicat, scripsisse circa ann. 1250. seculo XIII.* Nam injuste cum Daumio
agi, facile patet, quando ejus verba quid penitus inspiciantur. Vix
autem negandum, verba sic in Daumiana jacere expressa epistola,
prout à *Sandio* l. c. adducuntur; vitium vero vel descriptoris
vel correctoris incuria aut potius nimia cura inductum latere,
imo patere auguror, & quando cum his à *Sandio* adductis verbis
Daumii Ep. LXVII. p. 178. contendo, manibus palpo. Nam quan-
do hæc duo loca inter se conferantur; posteriori facile medela
afferri potest & seculo ejiciendum esse apparet, ut verba Daumii
sic fluant: *Gualterus non IX. sed X. scripsit libb. Alexandreidos.* Nam l. c.
non de ætate *Gualteri* sed ejus librorum numero agi, adjectum *Vos-
sii* testimonium probare potest, in quo, & ex libro de H. L. & P. Lat.
desumpto, uti etiam in *Reinesii* fortasse à *Vossio* decepti, V. L. l. III. c. IV.
p. 404. expressis literis mentio fit 9. libb. *Alex.* Quod vero ejus æta-
tem attinet, longe alia *Daumius Reinesium* docuerat altero jam ad-
ducto loco Ep. LXVII. p. 178. ubi expresse de *Matth. Vindocinensi*
agens, *Galterum*, ait, scripsisse post ann. 1171. quo cædes facta *Thome Can-
tuar.* cujus meminit l. 7. v. 331. Quod etiam *Reinesius* à sua in V. L. sen-
tentia recedens, Epist. LXXXV. p. 217. repetit, *Vossium* erroris postu-
lans, quod circa ann. 1200. floruisse scribat. Ut propterea absurdum
esse

esse illum oporteat; qui Daumium tam absurdum fuisse dicere vult,
ut in sententia, tam firmo ab ipso superstructa fundamento, adeo
fuerit varius. Nec illud Sandii l. c. pag. 192. tolerandum est *παρά-
εγνα*, ubi de Matth. Vindocinensi agit inque Reinesio & Daumio mi-
ram fluctuationem circa ætatem & Gualteri & imprimis Matth. Vindocinensis
occurrere scribit, ad eamque probandam adducit Epist. LXXXV. Reine-
siii p. 217. Nam ex Reinesii verbis adductis nunquam eliciet, quod
tentat, quia non de Matth. Vindocinens. ut Sandius vult, sed de
Gualt. agunt. Quod itidem ex Vossii testimonio à Reinesio addu-
cto apparet, quod non de Matth. Vind. sed Gualtero omnino, nec
Sandio contradicente, in libro de H. L. invenitur, quanquam, quod
nec Reinesius unquam affirmavit, in de P. L. minus occurrat. Si ta-
men ulla fluctuatio circa ejus ætatem ex literis jam laudatis exsculpi
potest, non Daumio sed Reinesio impingenda videtur. Quæ omnia
pluribus & possent & deberent deduci, sed quia jam non Panegyri-
cum aut Vindicias scribimus, dare volumus, quantum charta cape-
re nostrique ingenioli, Daumianum nomen & post cineres obser-
vantis, parvitas interrupto studio afferre potuit.

Ignota olim multis nota reddidit omnibus,
omnibus olim certa, incerta, (Λ)
omnibus credita, dubia,
ut olim nulli improbata
ab ipso improbata improbentur omnibus,
olim omnibus approbata,
ab ipso improbata, vix amplius approbentur.
Barbariei ipse erat hostis, ipsi Barbaries,
Solæcismos nec poterat tolerare, nec ab ipsis tolerari,
In quibus omnibus studium erat pertinax,
ut nec in otio esset otiosus,
etiam cum maxime licuisset otari,
quo, qui sibi otari licere putant, viderent,
quam parum otii restaret, ne otio abutantur.
Hinc non nisi inter laborandum otiabatur,
ab aliis cessando cogitationibus,

inter

(Λ) ad Diatriben de A. 2. & F. 2. nullitate respicitur,

inter otia laborabat, otia non male collocando,
non minus erat otiosus, quam ubi erat otiosus,
otiosus enim vel scribebat, vel legebat,
vel amicis tempus dabat.

Sicuti præsentes lingua, ita absentes calamo docebat,
omnes singulari modo.

Aliorum usui inserviendi occasiones, beneficia,
beneficia, occasiones aliorum usui inserviendi dicebat.

Solicitatus opem nunquam denegabat,
imo nec solicitatus multorum respondebat votis.

Nec visis nec auditis facilem dabat accessum,
ut sæpius illum sollicitarent.

Plura ipsis præstabat, ac petebant,
pauca petentibus multa exhibebat,
pauca desiderantibus omnem suam offerebat eruditionem.

Eruditionem, quam sibi propriam fecerat,
communem reddebat docendo,
quam legendo & meditando sibi collegerat,
scribendo aliis impertiebat.

Nolebat solus esse doctus,
sed ut multi per ipsum, ipsi essent æquales.

Et quia sciebat,
eruditione & scientia nihil esse nobilius,
in scientia humanitate nihil elegantius,
in humanitate ejus exercitio nihil pulchrius,
comparabat sibi eruditionem,

ut posset esse humanus,
humanitati operam dabat,
ut perpetuum ejus haberet exercitium.

In seculo nil nisi novitatem spirante antiquis erat moribus,
inter simulantes sincerus.

Mores ejus nemo improbat, nec improbus,
ingenium omnes approbant, in primis probi.

Nec iis poterat annumerari,
qui videri malunt, quod non sunt,
quam esse, quod videntur,
dum malebat esse, quod videbatur,
quam videri, quod non esset,
imo non videri, quod esset.
Nulli unquam infidias struebat,
nisi illud ipsum fecisse velimus dicere,
quibus pro ruditate eruditionem,
pro inscitia scientiam,
pro vitiis virtutes tradere studebat.
Omnia in illo singularia,
ut etiam humanam naturam supergressus videretur,
dum sine lucri spe laborabat,
sine gaudio sua audiebat elogia,
sine dolore suorum perferebat mortes (M)
mortisque prodromos,
sine ira quorundam sustinebat offensas.
Et ut innumera tribus,
omnia paucis comprehendam,
per omnem vitam, superioribus, paribus, inferioribus
reverentiam, amicitiam, benevolentiam exhibebat.
Unde honor & gloria,
quam quidem spernebat, sed spernendo acquirebat,
fugiendo accipiebat,
cupidus non famæ propriæ, sed eruditionis aliorum,
quanquam nec sine fama nec sine eruditione.

Nam

(M) in primis huc referenda beata ἀνάλυσις utriusque Conjugis, Martha, natæ Fickenwirthia, quam ann. 1642. 3. Oct. duxit & 6. Martii, ann. 1673. amisit; & Anna Margaretha, natæ Auerbachia, quam ann. 1674. 25. Jun. sibi jungi fecit, cui, gemina sobole, sibi adhuc superstiti, nata, Joh. Christiano, ann. 1674. 30. Oct. & Anna Rosina ann. 1676. 12. Jun. 1686. d. 10. Julii superstes factus est.

Nam sicuti jam olim
inter privatos parietes latens inclarescebat,
ita, licet ulterius latere maluisset,
in humilitate acquirebat exaltationem non quæsitam,
famam susque deque habendo merebatur,
quam multi merendo non merentur.

Magnus factus discendo,
major docendo, maximus scribendo.
Charus omnibus, displicebat nemini,
sicuti in schola Patronis beneficentissimis,
Steinmetzio, Boacho, Richtero, aliis,
in Academia, Barthio, Götzio,
ita in officio, doctis omnibus.
Sicuti in schola Patronos ipsi conciliarat
ingenium, poësis, mores,
in Academia Barthium studiorum paritas,
ita in officio omnes eruditio & inserviendi promptitudo.
Nomen ex scriptis, scripta ex nomine colligere licet,
& quod propria agnoscere nolunt,
loquuntur aliena. (N)

Quan-

(N) Ut nihil dicam de testimoniis ex ejus libris à Bosio, Buchnero, Cellario, Franco, Hallervordo, Hekelio, Hilario, Oleariis, Placcio, Rivino, Rumetschio, Zimmermāno, quantum quidem in mea libraria sat tenui colligere licuit, desumptis, plaustro elogiorum largo utere in Daumium nostrum effusorum convehi possent, si temporis & chartæ angustia permitteret. Interea messe pluribus instructo libris relicta, spicilegium instituire liceat. - Familiam vero ducat D. Cinellus additionibus ad librum inscriptum *Bellezza di Firenze*, sub fin. pag. ult. Al. Sig. *Daumio, Helluo librorum, e che nella cognizione de gli scrittori, e nell' erudizione de' tempi barbari non ha uguale, non che superiore.* D. Olear. præf. ad Herod. Orat. C. b. *Daumius, qui vere Βελιοθήκη τις ἐμψυχὸς καὶ ὡς πάλιν μαστίον.* Joh. Chr. Rumetsch. in Aquila Leopoldina p. 104. *Philologorum nostri seculi decus. Dn. C. D. Bosii & Franci non opus*

opus est repetere. Barth. To. III. ad Stat. 5. Theb. v. 91. p. 59. C. D. Cygn. ob singularem virtutem doctrinamque mihi commendatissimus. Id. To. III. Advers. lib. CLV. c. XIII. C. D. vir excellentis ingenii & eximia doctrinae. Id. lib. CLXXIX. c. 6. amicus noster, ingenii praeclari & eruditionis rarissima juvenis C. D. Harsdörffer. ann. 1646. ad amicum: Clarissimi, multijugae eruditionis & multa lectionis Viri elaboratissimus vertumnus evincit, ipsum non esse Vertumnum, h. e. ejusmodi hominem, qui libros intuetur, ceu canis Nidum lambit. Jovem lapidem juramus, divinum ipsius esse ingenium, judicium dexterrimum, laborem infinitum, & quaecunq; alia spectant ad eruditionis solstitium, ad cujus culmen ipsi facilis patet ascensus. Jo. Ge. Styrzelius in suis elogiis:

Et propriis clarus meritis, meritâ & Magnorum

DAUMIUS Heroum clarus amicitia,

Deliteat scholico quantumvis pulvere, fama

Attamen illustrat caeli utriusque domos.

Id. ib. Scivit, opes Linguae Latinae quae, nec prior aetas

Credo, satis; sed nec scit, puto, nostra satis,

Eruit Herculeo sed DAUMIUS, ecce! labore,

Sic reparans veteris res Latine novi.

Barth. 8. Maj. ad Daum. 46. Interim naviter (sed cum bona tua valetudinis curatione) rem gere, memor quo te ingenio donaverit Dei singularis benignitas, nec enim male mihi judicare videor eximens te plerisque omnibus hujus aevi.

Id. 3. Mart. 50. Igneum immo caeleste & ethereum tuum ingenium sodes ne nimis occupationibus onerare velis, scis enim subtilia illa spirituum talium dona

& magisteria facile elidi, tu vero alia omnia posteris nostris debes. Idem 24. Jun. 53. Descriptione hodiernorum stili Latini principum, teneo mordicus, quod nuper defendebam, CL. Daumi; pauci sunt, immo vix unus & alter, qui ferant veri auctoris personam: aut fastidiis enim & Lectionis affectationibus omnia sedant, aut languorem suum paucis omnino lineis non fatentur. Tua vero Eruditio, Tuum ingenium, Tuum judicium mihi talia DEI

Opt. Max. dona semper visa sunt, ut omnes κακοζήλιας ubique notas effugiant, immo superent & contemnant. Id quod mecum fatebitur, qui perspetas habebit & properantis, & allaborantis gratias; neutrum enim offendet quicquam superfluum, extra corpus orationis exstans, aut morbidum quocunque affectu, qui recte rem dijudicare quiverit & voluerit. Idq; in utraq; oratione: ingenua, nitida, vivida, contra omnia, & naturale decus nullibi non spirantia.

Maße

Macte te doctore juvenus; &c. D. Bulaeus ad Daum. 18. Maj 48. Magna mihi voluptati fuerit elegantissima ingenii tui pignora, quibus me beasti. Censuram autem quod exoptas, ne frustra es! Aut enim Te ipse ignoras, aut meam nescis tenuitatem. Ex animi loquor sententia: Phoenix es in meliori litteratura. Barthium interroga aut Buchnerum; non diffitebuntur. Et credo Te aliquid putare candidos illorum lapillos. Gerhardus ad Zechendorf. 6. Jul. 46. Admiratus profecto sum Viri hujus summam in Philologia Latina felicitatem & ingenii dexteritatem, maxime in poësi felicitatem. Id. ad eund. 24. Jun. 48. Quem virum in litteratura humaniori excellentem valde aestimo. D. Jo. Olear. 24. Apr. 73. inexhaustus profundioris litteraturæ fons. D. Kolsinck ad Bosium 14. Feb. 58. Daunius ignotus sibi, notus magis omnibus, puræ Latinitatis mystæ & arcanorum criticorum custos religiosissimus. Etzardi ad Mart. Fogelium Hamb. 1662. CL. Daunii haut supersedeas in transitu accedere Musas, & meo nomine ei salutem imperatias. Omnino Cygneæ ornamento est splendidissimo. Nec parum delectationis ex ejus diffusa & varia capies eruditione, avidissimisque oculis exquisitissima ejus Bibliotheca satisfaciet. Nec immerito Daumiana Bibliotheca etiam exteris innotuit, cum nullus, quem literæ fati & sibi ipsi superstitem reddidere, nec nostro nec superiore vixerit seculo vir, ex cujus Bibliotheca ad suam Beatus non multum fecerit accessionis, ut, solutis paginis constantibus libris & membranis nondum certo numero inclusis, decem millium compactorum dominus factus fuerit, in quibus Lutheri, Melanchthonis, Erasmi, Manutiorum, Stephanorum, Scaligerorum, Lipsii, Casaubonorum, Frischlini, Vossiorum, Barthii, Rutgerii, Reinesii, Scriveri, & cujus non? αὐτόγεγραφα offenduntur. Buchnerus in suis ad Daum. inscriptionibus, quas ab impressis abesse video. Ep. 7. C. D. Poëta & Philologo non è multis. Ep. 11. Rarioris nota Philologo. Ep. 17. Cadentium literarum eximio strenuoque vindici. Ep. 18. Edecumata eruditionis Philologo. Königius 9. Dec. 72. Ego Daunium (absit adulatio,) pro eo habeo, qui in Gr. & L. L. omnibus hodie palmam præripit. Judiciosissimus Schurtz fleischbius progr. in obitum Andr. Diezii ann. 1677. C. D. vir & exquisito ingenio & acri judicio, & diligentia singulari. C. D. vir per se egregius & satis laudatus. J. G. Olear. 12. Jan. 74. celebratissimus litterarum stator. Gebhardus 5. Cal. Januar. 64. in primis ille (Muhlfortius) sepicule mihi recommendavit reconditam tuam in evolutione autorum, qui sequioribus vixere seculis, scientiam. Id. ann. 1665. Διοκασματιον in primis de c. a. l. l. r. quod in transcurso demum visum, lectionem tuam multijug am

D

inge

ingenium acre, judicium excellens arguit. Quid itaque, mi CL. Daumi,
jam non prestes, cum ante lustra pene quinque tantam eruditionis suppellectilem
juvenis adhuc tibi paraveris. Maeste itaque, maeste porro, uti facis, autores
nobis illustrare. He. Hilarius 18. Dec. 77. novus nostri seculi Varro ac Tul-
lius, Vir de studiis literarum, inprimis philologicis praeclare meritis & indies
praeclarius merens. Laur. Boy 28. Jun. 65. octavum mundi miraculum. O-
mitto innumera alia Axenii, Barthii, Bobemi, Bosii, Euchneri, Cundisii,
Grevii, Gronovii, Gueinzii, Heinsii, Hornschuchii, Kirchmajeri, Königii,
Magliabechii, Mitternachtii, Oleariorum, Thomasi, Zigneri. In spe-
cie de ejus in pangendis versibus felicitate, quam non tantum ipsa
carmina praedicant, sed doctorum literae loquuntur, plura conferri
possent; sed ex quingentis triumviros adduxisse sufficiat, quos inter
primas teneat nullius blandiendo quicquam deferens auribus, acu-
tissimus in studio poetico censor, Barthius, qui Festo S. B. pt. 47.
Si tu vero extra Parnassum somnians tales Choliambos extundere potes, neces-
se erit mihi aestimare, prope Cygneam novas sibi sedes parasse Musarum totum
chorum. G. M. Königius 28. Aug. 70. Valde placent, malo unam &
alteram pagellam tuorum versuum legere, quam aliorum myriades. Id. 4.
Sept. 77. Strenas tuas admirabundus perlegi, laboriosas juxta ac elegantes.
Magna est tua felicitas & facilitas in ejusmodi versibus contendis, adeo, ut
palmam tibi omnes facile concedere possint. J. G. Olearius 31 Aug. 76.
Etiam libero fidem meam, restituens libellum Tuum, deliciis vere Tuis h. e.
edecumatis undiquaque refertam. Librum profecto intus & extus scriptum,
qui, quoties adspexi & revolve, in mentem revocavit illud poeta: scriptus & in
tergo nec tum finitus Orestes. Obstupui, fateor, ad millenarios sine exem-
plo factos. Mirum, tanta prestare valuisse ingenium humanum. Nec mirari
haec revera mira & laudare gratis, quoad vixero, desinam. Ubi una in ju-
dicii Ejus exactissimi laudes plenis velis excurrere liceret, nisi ad Va-
riarum Lectionum & Observationum propediem solis disco expo-
nendarum editionem L. B. ὄρεξιῖν remittendam putarem. Inter-
ea tamen satis de eo sit testimonii, quod Gronovius, qui Beato in Ep.
ad Rivin. 15. Mart. 68. scripta, acutissimus & felicissimi ingenii Recensitor,
contra quem non mutiat, audit, ipsum (loquor verbis Gronovii, pr. CL.
Octobr. 57. ad Daum. scriptis,) judicem suae conjecturae, quae ipsi ad locum
M. Seneca nata, faciat, deque Daumianis Conjecturis optima quaeque
praedicet: Conjecturas tuas, inquit 3. Non. Maji, 57. vidi lubens, ut-
pote quae & ostenderent, quam subactus sis in veterum sensibus deprehendendis
& me doctiorem redderent.

Quamquam nec mala defuere optimo.
 Nimia enim diligentia oculis caliginem,
 sicuti animo lucem,
 oculis dolorem, sicuti animo gaudium attraxit,
 vita sedentaria calculum & malum hypochondriacum.
 Nunquam tamen mala sensit,
 sed in malis optimus ut Marpesia rupes perstitit.
 Quis ergo negare vellet,
 eum nobis dedisse vitam, qualem dies vitæ prima promisit.
 Si vero tantus in vita,
 quantus in morte? quantus per mortem?
 Nec enim per mortem omnis desit,
 sed maxima sui parte sibi ipsi est superstes,
 nec vitæ jactura vitam amisit, sed invenit,
 imo vitam perdendo immortalitatem acquisivit.
 Laudis vigor, qui cum ipso vivere incepit,
 in morte non est mortua,
 quia, a literis morti ereptus est mortuus,
 quibus vivus vitam vindicarat.
 Et sicuti vivendo mortalis,
 ita moriendo vitalis, imo immortalis factus est.
 Quod vel mortis dies docet, (E)
 qui paucos abstulit eruditione celebres, (O)
 ut non minus ultimus quam primus ejus esset singularis.

D 2

In

(E) 15. Dec. 1687. hora 8. vespertina, vita protracta ad 75. annos, 8. menses, 2. hebdomadas, 2. dies, 10. horas.

(O) Eod. die, ætatis anno 87. obiit ann. 1280. *Albertus Magnus* Balstadius, ex ordine equestri, clarissimis quidem natus majoribus, sed parente carpentario Lavingæ, Episcopus Ratisp., quo onere abdicato, sibi & literis vixit. *Dominicus Petri de Nardis*, Theologus Dom. Florentiæ in patria 1385. *Joach. Hopperus*, Erisius, JC. Dominus in Dalem, Eques auratus, Consiliarius intimus Philippo regi Hisp. Madriti 1576. *Fridericus III.* Dux Lignicensis, princeps eloquens & varia linguarum cognitione præstans, Lignicii 1570. *Ludov. Nauclerus* J. U. D. Præpositus Stutgard. 1512. *Mutius Oddus* Mathemat. 1639. *Laur. Paulinus*,

ArchiEp. Upsaliensis 1646. Franc. Vigerius, Gallus, S. I. 1647. Theodorius Reinking, 1664. D. Jo. Brunnemannus 1672. Quibus nescio an annumerem monstrum illud humanum Ducem de Alba, qui eodem die obisse dicitur.

In morte tamen offendit omnes,
qui per totam vitam nullum,
& cū vivus nemini, mortuus omnib⁹ bonis dolorē excitavit,
ut satius fuisset, nunquam fuisse mortuum,
quam fuisse mortalem.

Moriendo enim sui desiderium reliquit omnibus,
qui vivendo olim sui desiderium excitarat omnibus.
Mortuus desiderium omnibus,

qui vivus delictum.
Quod olim carum, jam excruciat,
quod desideratum, enecat.

Inprimis Cygnea dolorem sentit, quæ olim gaudium,
Quanquam felicissima in communi malo,
quod sanctissimas exuvias servare licet,
toti debitas mundo,

Et sicuti cunas Beato dederat & vitam,
quæ cunas & vitam, eadem honores & officia,
quæ officia, eadem & mortem,

ita quæ cunas & vitam, honores & officia & mortem
eadem & sepulchrum,

quanquam sepulchrum lautius quam cunas,
quod tamen differre voluisset ad futurum seculum.

Lugete ergo omnes boni, quem Musæ lugent,
qui nunquam fuit malus,

quia in uno hoc Musageta,

nativitate claro, vita clariore, morte clarissimo,
diligentia magno, eruditione majore, scriptis maximo,

Musæ Statilinum, Cygnea Phosphorum,

amici Fidium,

omnes aliquid, plurimi omnia

amifere.



La 6229 OK

konf

110

240
AK 239
6

X 204

229

ANA
DIS
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
CHRIS
DAU
POLYHISTORIS, P
ET POETÆ INCOMP
SCHOLÆ RECTORI
DE HUMANIORIBI
LITER

DOCTORIS SUI HE
SUSP

M. CHRISTIANO
MISN

Apud Joh, Christian. Wo
M DC L

BIBL
PONIC

19.

